

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0043

0041

0047

0037

0052

0032

0092

0142

0542

1042

32

in vallem Josaphat et transito torrente ab alia parte per crepidinem ascendimus, qui dividit montem Oliveti a monte offensionis. In via autem monstraverunt nobis unam antiquam domum arcuato opere factam, desolatam, quam dicebant fuisse domum Judae Iscariotis proditoris. Domum hanc quidem respeximus et despeximus, tamquam domum discalceati, qui respectus fuit in Israel. Nam Deut. 25. praecipitur: si frater fratri defuncti sine liberis noluerit suscitare semen, debet uxor defuncti eum discalceare, et spuere in faciem ejus, et illo facto domus ejus dicebatur domus discalceati. Hoc inpletum est in apostolis, quia quilibet eorum insolitum accepit officium generandi filios in ecclesia, non sibi sed Christo, ex ejus nomine nominandos. Hoc autem fecerunt apostoli Christo mortuo, Judas vero, quia noluit suscitare semen fratribus suis, privatus est omni bono, et ecclesia, uxor Christi, spuit sibi in faciem, eum abiciens et Matthiam eligens. Unde nihil reliquit, nisi domum discalceati confusam et ignominiosam. Unde benedicitur Proverb. 17: Conturbat domum suam, qui sectatur avaritiam. Cum displicentia autem domum hanc maledictam pertransivimus, quia domus exasperans est, Ezech. 2.

De loco, ubi Dominus maledixit ficum arborem pro eo,
quod non invenit in ea fructus.

Ende

Anfang

Relicta post nos domo praeftata in crepidine processimus inter macerias hortorum et viridariorum, in imo autem crepidinis, a quo ulterius est ascensus, venimus ad unum voluptuosum viridarium, in quo multitudo ficorum stabat, ex quo arbores ficuum dependebant super maceriam in viam. Hic est hortus, in quo vidit Jesus ficum a longe, cum hic per viam a Bethania iret in Jerusalem, et esuriret. Et ingressus hortum venit, quaerens fructum, sed dum non inveniret nisi folia, maledixit arbori, et continuo aruit, ut hubetur Math. 21. De quo dum discipuli mirarentur, dixit eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, non solum de ficu illa facietis, sed et huic monti dicetis, tolle te, et jacta te in mare, ita fiat. Haec autem Dominus dicens, digito demonstravit montem Oliveti, ad cuius radices haec siebant. In hoc ergo loco ad

